

perdita di alcune galere e fracasso di altre nel 1625 [primum scripsera 1626], ed il Gualtieri muori d'una moschettata. Così mi raccontò Don Carlo Maria Ventimiglia. Ho fatto, finit Cordicus, questa digressione in memoria di quel Tedesco che venne ad illustrare la Sicilia. Collectanea quae Gualterius secum habebat, aut simul cum ipso perierunt (sic certe Camarra scribit Teate p. 66: 'Georgius Gualterus Augustanus . . . meus olim amicus . . . periit . . . infelicissime, dum in Siciliam adnavigabat in Melitensium et Bisertensium conflictu ictu bombardae a barbaris explosae, quae doctum virum perdidisse non contenta perdidit etiam sua scripta, quibus illustrare meditabatur Italiam'), aut certe postea non comparuerunt, nec quicquam hodie eius remanet nisi pauca illa quae cum hospitibus communicavit et grata neque inhonorata memoria primi ex nostratibus, qui eiusmodi itinera suscepit.

VII. Gabriel Lancellotto CASTELLO princeps de TORREMUSZA post minora quaedam, quae de Halaesa edidit sub nomine Arcadico Selinuntii Dragontii (diss. sopra una statua di marmo scoperta nelle rovine d' Alesa. Panormi 1749. 4. pp. 48; item storia di Alesa. Panormi 1753. 4. pp. 200) primum edidit a. 1762 inscriptiones Panormitanas (le antiche iscrizioni di Palermo. Panormi 1762 fol. pp. XXVII et 460), deinde Siculas omnes bis a. 1769 et a. 1784 (Siciliae et obiacentium insularum veterum inscriptionum nova collectio. Panormi fol.; ed. 1. 1769 pp. LXXX et 323; ed. 2. a. 1784 pp. LXXVI et 344). Adhibui tria corpora citavique Sicula ita, ut ubi numerus in duabus editionibus idem esset, semel

poneretur, ubi differret, uterque citaretur, additis in ed. 2 titulis eius editionis significatio apponeretur. Splendorem voluminum bonitas non aequat et longe distat Torremuzzae incuria a Gualteri sedulitate. Pauca Torremuzza ipse vidit, plura ex schedis antiquioribus excerpserit vel ab amicis communicata habuit, ea autem collectanea cum omnia fere adhuc extent, nos ex Torremuzianis raro pendemus. A crisi auctor plane alienus est apographum, ut accepit, ita ponere contentus. Denique tituli origine Siculi in sylloge maiore obruuntur ingenti numero alienorum ex urbe delatorum in musea Sicula, scilicet Panormitanum Benedictinorum, Catanensia duo Benedictinorum et Biscarianum, Notense Astuti, eorumque ex parte magna ficticiorum; nam quo tempore musea illa condebantur, in urbanis officinis plurimi tituli fraude incidebantur ad exemplaria antiqua sive ex libris petita sive ex ipsis marmoribus eorumque bona pars in musea Sicula transiit.

VIII. Ipse et ante hos triginta annos et nuper Siciliam peragravi inscriptionibusque describendis vacavi, adiutus tam virorum Siculorum complurium ope et consilio et praeter alios optimi amici Antonii SALINAS praefecti musei Panormitani indefesso auxilio, quam iis copiis, quas qui his temporibus Siciliam lustrarunt mihi magis quam sibi ibi paraverunt, in his collectaneis ab Iulio SCHVBRING a. 1865 academiae Berolinensi oblatis. Nuperrime Ioh. SCHMIDT a me rogatus et alia quaedam et Syracusani theatri titulos solleter recognovit.

I. MESSANA (Messina).

(cf. C. I. Gr. 5645—5637 cum add. p. 1250.)

Μεσσήνη Graecorum Latine *Messana* est; cives sub Romana dicione Mamertini potissimum dicebantur (Strabo 6, 2, 3 p. 268: καλοῦσι δὲ Μαρμερίνους μᾶλλον ἅπαντες αὐτοὺς ἢ Μεσσηνίους) eoque nomine publice quoque appellantur in tegulis nummisque. Publice autem Mamertinos Osca lingua utpote patria sibi usos esse et inventi ibi lateres demonstrant inscripti MAMEPTINOYM (cf. librum meum de dial. Ital. inf. p. 199) et notissimus titulus (l. c. p. 193): ΣΤΕΝΙΣ ΚΑΛΙΝΙΣ ΣΤΑΤΤΙΗΙΣ ΜΑΡΑΣ ΠΟΜΠΤΙΕΣ ΝΙΥΜΞΔΙΗΙΣ | ΜΕΛΔΕΙΞ ΟΥΠΞΕΝΣ | ΗΝΕΙΜ ΤΩΣΤΟ ΜΑΜΕΡΤΙΝΟ | ΑΠΠΕΛΛΟΥΝΕΙ ΣΑΚΟΡΟ, id est *Stenius Calinius Statii f. Mara Pomptius Numerii f. medices fecerunt et populus Mamertinus Apollini sacrum*. Nummi tamen praeter unicum Osce inscriptum (Friedländer *oskische Münzen* p. 60) Graece omnes loquuntur, utpote non propter cives solos cusi, sed communi hominum usui destinati. Romani cum insula potiti sunt, Mamertinis non solum libertatem reliquerunt, sed ad foedus quoque eos admiserunt, id quod praeterea in universa Sicilia solis Tauromenitanis evenit (Cicero Verr. 1. 3, 6, 13;

Plutarch. Pomp. 10). Anno u. c. 684 cum Mamertini eo loco essent, *Messana oppidum civium Romanorum* ante factum est teste Plinio 3, 8, 88, quam lege postuma dictatoris Caesaris vel potius Antonii consulis universi Siculi ad civitatem pervenerunt. Civitatem igitur cum impetravisse videantur inter a. 684 et 710, qua occasione et a quo eam obtinuerint, parum liquet; probabile tamen est, ut supra (p. 713) coniecimus, ipsum Caesarem Mamertinis civitatem concessisse. Et ea aetate et sub imperatoribus cum res Mamertinorum satis florerent (Strabo l. c. οἰκεῖται δ' ἱκανῶς ἡ πόλις, μᾶλλον δὲ Κατάνη), nihilominus tituli neque Latini neque Graeci abundant nec quicquam fere inde discimus de rei publicae institutis. Probabile est aetate imperatoria Mamertinos publice Latina lingua usos esse et magistratus tales habuisse, quales civium Romanorum oppido conveniunt; sed adhuc nullum titulum habemus eo tempore publice positum neque in iis qui aetatem tulerunt honores ulli reperiuntur exceptis *scribae publici* (n. 6979) et *flaminicae divae Augustae* (n. 6978). De tribu non magis constat.

6976 in marmore floribus et pictorum deliciis redimito caractere correctissimo GVALT. Messanae BAMB. AMBR.; in domo Ioh. Iac. Buoncampagni MORILL. (cum SMET. MET. WAELSC.); in vico Byzantinorum apud Petrum Stagnum eq. GVALT. — Sine loco OLIV.

L · B Á E B I V S · L · F
G A L · I V N C I N V S
P R Á E F · F A B R · P R Á E F
C O H · III · R A E T O R V M
5 T R I B · M I L I T · L E G · XXII
D E I O T A R I Á N A E
P R Á E F · Á L A E · A S T Y R V M
P R Á E F · V E H I C V L O R V M
I V R I D I C V S · A É G Y P T I

Io. Bembus cod. Mon. f. 100; cod. Olivae f. 54'; cod. Ambros. C. 61 inf. f. 95'; Morillon cod. Amstel. f. 82 et apud Smetium cod. Neap. p. 171, ed. 84, 6, quamquam is auctorem non indicat (inde Ligorius cod. Neap. l. 36 p. 358, cod. Taur. 11 et 26; Panvinus cod. Vat. 6035 f. 68' et 74, Rom. p. 641. 858; Manutius orth. 676, 2; Ursinus fam. Rom. p. 36; Waelscapple f. 122); Metellus cod. Vat. 6039 f. 357'

qui habuit a. 1547 a Nicotio Gallo Provinciali, item eodem anno a Morillonio supra laudato, item a Vallamberto; Grut. 373, 4 e Smetio Verderii-que schedis; Gualterus n. 154=9 (inde Torremuzza IX, 4=5).

In vv. div. consentiunt Bembus Morillon Gualterus; apices habent Morillon (ms., Smet. ms., Met.) et Gualterus. — V. l. adscripsi Bembi, Morillonii (ms. et Smet. ms.), Gualteri. — ÁE Mor. Gualt. perpetuo, ÁE Smet. perpetuo. — 8 VEHICVLORVM sine apice Mor.